culte facias & doceas populum ut derelinquant
eos & sequantur hominem mortuum. Sauinus eps
dixit. Tamen est in cognitione tua quia mortuus
est dns nr ihs xps. Uenustianus uir clarissimus dixit.
uere occisus & sepultus. Sauinus eps dixit. Quia
tertia die resurrexit non scis. quod tamen integre
agnoscere debes. Uenustianus uir clarissimus dixit.
elige tibi de duobus unum. Aut sacrifica diis & uiue.
aut certe tormentis quibus dignus es necaberis. &
resurge sicut dns tuus xps. Respondit uero sauinus
eps dixit. & ego hoc desidero necari & mori ut re
surgam sicut dns meus ihs xps. Uenustianus uir
clarissimus dixit. Consule tibi & pollicere te diis
sacrificare & uiue. Sauinus eps dixit. Si cognosceres
ueritatem non blasphemiam proferres ex ore tuo.
sed humiliares te do patri omnipotenti & xpo ihu fi
lio eius & sps sco qui mortem captiuauit & uita dona
uit. qui pedibus mare ambulauit & quieti imperauit
& cessauit ab ira sua. qui credentes in se resuscitat in die
magno & terribili aduentus sui. Dicito mihi si iustius
est ut derelinquam creatorem caeli & terrae & ad
orem ligna & lapides & ferramenta aurum uel argen
tum simulacra muta & surda qui nec sibi auxiliantur
nec alios. sed potius eos qui illis credunt in perditione
mittuntur. simulacra demonum sunt uana & sur
da. muta & sine sensu. Uenustianus uir clarissi
mus dixit. Ergo non sunt dii gubernatores reipu
blice. Scs sauinus eps dixit. Non sunt dii sed sunt
demones qui destruunt rem publicam uestram. Sed
ut scias quia nihil boni est colere demonia. deferatur
hic deus tuus. Tunc uenustianus uir clarissimus
deum suum quem habebat in cubiculo suo ubicumque
mansisset. iubebat adduci in medio. quia erat mire
factus ex lapide corallite iouis. & uestimenta eius
de...rata erant. Qui cum adductus fuisset cum lam
padibus & uociferationibus in manibus uenustianus
uir clarissimus dixit. Ecce propitiatores nostri. Tunc
subridens scs sauinus eps dixit. O uana instantia
ut dimittatur ds creator omnium. & colatur lapis

sordis dirissimus. Uenustianus uir clarissimus dixit.
Ergo non sunt dii. Scs sauinus eps dixit. Non. sed
ut scias quia non sunt dii dimitte me facere quod uolo.
& modo uides. Uenustianus uir clarissimus dixit.
si praesumis. fac quod uis. Tunc beatus sauinus eps
accepit iouem in manibus suis oratione facta. conti
nuo elisit eum in pauimento. & confregit deum iouem.
Hoc uidens uenustianus uir clarissimus tutudit
cum furore frontem suam dicens. Peribimus nos
& respublica obscurata est. & iussit cum furore
ut manus eius praeciderentur. Ipse uero uociferans
clamabat dicens. Sacrilegum sauinum qui per per
naciam suam confregit deum nostrum iouem omnib.
praesentibus truncari praecipio. Eadem uero hora
praecisae sunt ambae manus eius. & cum hoc factum
fuisset. coeperunt marcellus & exuperantius diu
tissime timere & trepidari diaconi sci sauini. Ea
dem uero hora beatus sauinus eps manib. praecisis
confortare coepit diaconos suos. exuperantium &
marcellum. dicens eis. Filii carissimi & fratres mei
nolite timere minas diabuli sed confidite in dno ihu
xpo qui fidelibus suis dat coronam. & uitam aeternam.
Exuperantius autem & marcellus accepta fiducia.
coeperunt clamare una uoce pariter dicentes. Pere
ant dii demoniorum. & laetetur cor quaerentium
dnm. Tunc uenustianus augustalis uir clarissimus
eadem hora collegit fragmenta dei sui iouis in lin
teaminibus & collocauit in capsa argentea & mi
sit in domum suam. & iracundia plenus iussit in con
spectu suo marcellum & exuperantium in aculeo
suspendi praesente sco sauino epo. dicens eis. Sacrifi
cate diis. aut certe poenis interibitis. Respondens
autem scs sauinus. dixit ad diaconos suos. Filii dul
cissimi constanter estote animo & corde. & nolite
timere terrorem inimici. Respondit marcellus &
dixit. Nos semel nos ipsos optulimus do sacrificium.
qui aliquid respondere non habemus. nisi ut pecca
tis nostris ignoscat ds. quia ea quae patimur. secun
dum peccata nostra patimur. Nam diabulo locum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_846/0287